



**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

111. Sabb. B. Virgo amarum mare septem geminis dolorum ostijs  
influentibus tumidum, & tempestuesum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

emori iuberetur. Quid enim? tunc ut moriaris, ô J E S U mi, ut ego vivam? avertat me Deus ab hoc consensu: non est amor proprius tam cæcus, quin rei indignitatem videat: quia licet vitæ suæ sit quisque amantissimus, & salutis propriæ omnia postponat, naturæ instinctu: tamen optare mortem Dei, ut ego vivam, tam hoc est insolens, ut vel ideo mortem æternam mererer: nisi igitur impius esse volo, mortem tuam desiderare non possum, Deus meus. Quod si charitas tua transcendit omne desiderium meum, saltem mea adæquet exemplum tuum, ut amore amoris tui moriar, sicut tu amore mei es mortuus.

## MEDITATIO CXI.

## Sabbato Dom. Passionis.

*B. Virgo amarum mare septemgeminis dolorum ostiis influentibus tumidum, & tempestuosum.*

**A**vdiam D. Susonem pluribus explicantem dolores B. Matris. Quando, inquit, luna est plena, tunc maximæ plerumq; tempestates exurgunt in mari: pendente in cruce Domino, & dicente: *Consummatum est*, fuerunt omnia impleta, adeoque maximæ dolorum tempestates sunt ortæ in Maria: tunc enim & mensurâ dolorum Christi, & mensurâ compassionis *Mariae* fuit adimpleta,

**1.** Petam agnoscere immensam vim dolorū  
B. Virginis, ipsique compati.

**1.** Septenarius dolorum septem genera-  
lium B. Virginis. In Circumcisione. Fuga in  
Ægyptum, ubi exilium quasi octenne. Tri-  
duanæ lacrymæ. Bajulatio crucis, sub cuius  
pondere fatiscebat. Crucifixio pro inimicis.  
Depositio, cui aderat Iosephus & Nicodemus,  
viri nobiles. Sepultura.

**2.** Septenarius dolorum generalium: se-  
ptena paupertas Christi. Fuit pauper re, ni-  
hil proprii habens, & extremæ tantum indi-  
gentiæ, neque semper succurrens. Pauper  
familiaritate, amicis, consanguineis. Pauper  
potentiâ, subjectus elementis, hominibus  
pessimis, dæmonibus. Pauper scientiâ mun-  
di, creditus simplex, ignorans, insipiens. Pau-  
per famâ sanctitatis, & innocentiae, habitus  
peccator, seductor, blasphemus, Pauper do-  
minio, & imperio, subjectus, solvit vectigal,  
iudicibus ad mortem subest. Pauper vivus,  
& mortuus, in alieno sepulchro conditus,  
Hæc ex B. Angela.

**3.** Septenarius dolorum generalium, se-  
ptem effusiones sanguinis Christi. In Cir-  
cumcisione. In horto. In flagellatione. In  
coronatione. In vestium depositione. In  
crucifixione. In lateris apertione.

**4.** Septenarius dolorum generalium. Ex  
natura

natura Christi, quæ quò nobilior, & viliori morte damnata, eò dolorosior. Ex forma Christi: quia formosior magis deformatus est deformior. Ex sapientia, quò quis sapientior habitus pro insipientiori, eò vilior. Ex gratia miraculorum, quæ magis sprete reddunt contemptibilem. Ex fama: famosior magis sprete, magis est infamis. Ex gloria: major gloria magis contempta probrosior. Ex derelictione: quia ab omnibus derelictus, qui omnium curam gerit.

5. Septenarius dolorum generalium. Quia passus est à populo DEI. A profitentibus perfectionem. Ab intelligentibus. Ex conspiratione. Ex acceleratione sollicita mortis Christi. Ab ingratis. A familiaribus.

6. Septenarius dolorum generalium. A loco: In Ierusalem. A situ, in Calvaria. A festo, in Paschate. Ab hora, in meridie. A modo, ut ab omnibus videri queat. A causa, quòd Filium Dei se fecerit. A finali morte, quam prædixit, ipsi autem executi sunt.

7. Septenarius dolorum generalium. Ex horto apud Annam. Caipham. Pilatum, Herodem. Pilatum Locum sententiæ. Locum mortis: Quibus B. Virgo potioribus interfuit. De reliquis audiverit à Ioanne, vel Petro lamentabiliter suam negationem deplorante.